

tam habuit. Neque enim veteribus temporibus didicimus aliquas magnas dignitates administratas, quæ circa imperium sunt, et post hæc non dignari de hac re sollicitudinem fieri, paulatim [vero] ita res abjecta visa est et nullius rei digna, uti neque ex codicillis nostris [fieret.] jaceret autem sub gloriosissimis præfectis felicissimæ hujus civitatis, et multa ex ordine eorum ista susciperet dignitas et administraret eam pessime. Etenim si quis inspiciat antiquitatis ejus cingulum, vehementer eam qualis pridem erat, et de his, quæ nunc sunt, docebitur, cognoscet enim eam et forum proprium et officium commentariensis habentem, et alia omnia quæ pene civitatis cingulo a legibus deputata sunt.

CAP. II.

Quia igitur nos omnia perscrutantes, quæ facta sunt pridem, festinamus in meliorem ordinem et antiquam honestatem et hujus rei reducere ornamentum, ut non furta ab iis fiant frequentia, et societates cum furibus, et judicia negligi et sperni, et nullius dignæ procedant rationis, propterea existimavimus, quæ circa ea sunt, definire. Scimus enim, quoniam si propter pecuniarias lites, in quibus non magnum est periculum, nisi in pecuniis solis, attamen dignitates eas judicant magnæ, et multotiens etiam conjudices dantur, et innumerabiles nobis sollicitudines sunt, ut non causæ sine iudicio procedant: quomodo non competens est de iudicibus, quibus super animabus iudicantium est periculum, omnem ponere providentiam, qualiter alicujus digni efficiantur rationis, ne quando animam perdant hominis nati quidem semel, recipere autem eam dum perdidit, non valentis?

CAP. III.

Primum quidem [igitur] sancimus neminem omnino in prædicta dignitate adesse, priusquam a nobis codicillos administrationis accipiat, et nulla ratione præsumere citra imperiales codicillos ad curam istam accedere, sed expectare imperium, et exinde conscriptum iudicium. Nos enim nulli prædictam dignitatem trademus, nisi magnificis, illustribus aut spectabilibus comitibus consistorianis, aut clarissimis tribunis prætorianis et notariis, qui hanc suscipiant dignitatem, aut aliis administrationes agentibus, et apparentibus nobis aptis, et nostro dignis testimonio, quatenus eos prædictam habentes honestatem et honorem defendere, præsertim pro justitia, propter quod pro animabus est intentio, et multis homicidii consueverunt litibus habitare, et de adulteriis, et invasionibus, et rapinis, et si quid tale est. — § 1. Oportet ergo talibus criminibus præsentem, virum esse undique honestum, et irreprehensibilem, et hujusmodi auditori dignum, et omnis abstinentem furti seu munere acceptionis, et puras habere manus. Habere autem, et consiliarium probatum unum, etenim neque citra usum consolationis eos relinquemus, sed unicuique eorum tot solidos occasione annorum annis singulis dabimus, quatenus hi sufficientes his, nulli adqueant furto aut venalitati. — § 2. Sed neque per dationem fieri omnino, quemadmodum in quibusdam fiebat temporibus, neque *proscripta* aurum ulli. In æquali enim crimine efficitur, et qui dat alicui occasione dignitatis, quod si factum fuerit, adqueant, ut secundum dandum ab eo jururandum manifestatur.

CAP. IV.

Didicimus autem eis ad obsequium esse officia maligna: didicimus autem latronum cognitores et veneficiarios et cingulorum incisores et aliam multitudinem, quorum unumquemque competens est, castigare magis, quam taliter vivere. Neque enim latronum cognitor talis est, quomodo, in bonum quid agere, sed in hoc tantummodo cognoscunt fures, ut lucrum sibi et iudicibus suis venentur, quæ omnia competens est eos, qui nunc a nobis in prætoriam populi transeunt, disside et aversari, et mundis uti manibus, et rescare omnia quæ præcepta sunt, sive de furto, sive de aliis delictis, et civitatem nobis emundare ab his, quæ furta operantur, bestiis, et viris industriis uti ad hæc ministris, et proprio officio offerri competenter, quatenus timor eos habeat sui iudicis, et omnia agant cum vehementia et bona voluntate, et digne iudicio de se, neque multi aliqui fures erunt, et furta celeriter inveniuntur, et peccantes imminuentur, timentes dignitatem, quoniam nemo comparet pecuniis. Sed et crimina vel si vehementissima sint, cognoscent, et populares sedabunt turbas, ita gloriosæ hujus et regis iudici civitatis, sed nobis obsequentes, et omni digni eo honore, tanquam iudices minores a iudice majore evadent ejus sollicitudines, nihil eligentes agere, quod non est bonorum virorum et imperialis testimonii dignum. — § 1. Si vero aliquando contigerit (hoc quod non optamus) fieri aliquid in hac civitate incendium, oportet, eos presentes esse et ministrare: et maximum hoc opus ha-

3. c. 3, supr. hic.

Trr. I. — 1. L. 2, § 2, D. ad leg. Jul. de adulter. — 2. § 1, infr. hic; L. 7, in fin. C. de

bere: ne fures et subtrahentes infelicissimorum res, cripere et salvare quantum possunt res ab ignis violentia. Etenim si circa hanc dignitatem facti fuerint industrii, major eos sedes excipiet et honestior dignitas, et cognoscent quantum est, quod cum honestate vivitur, quam hanc contemnere, uti autem multis manibus, et per eas impie agere: et postea agere propter quod nihil horum quæ ita congregantur, consuevit manere, sed male colligere et statim perdere; ut igitur nostros subjectos invitari quidem per hanc æstimavimus oportere occasionem, et solatium eis dare tantum, et homines honoratos ad medium adducere, ut eorum virtutem sentiant subjecti. Habebunt autem spectabiles populorum prætores et consiliarium nostro super eo iudicio, sicut diximus, dignum.

CAP. V.

Assistent autem eis et vicini milites et tricenæ matricarii (quos nunc constituimus) dispositionibus obsequentes eorum, et sicubi ΔΕΟΙ, eos qui indecenter agunt detinentes et competenti ordini tradentes [disciplinam.] Oportet autem eos manifeste scire, quod si mundos semetipsos constituerint, et Dei auxilium habebunt, et nostra placatione non fraudabuntur, et longior eis dignitas erit. Quis enim bene et recte agentem amovere velit?

CAP. VI.

Sed si transmittatur eis aliqui a iudicio viri clarissimi præfecti hujus felicissimæ civitatis, quatenus supplicii subiciatur, scrupulose inquirent dignitatem, et doceantur, in quibus occidunt hominem, aut auferunt membrum, aut tale aliquid, sciscitant et ab ipso glorioso præfecto, si et hoc præviderit, ut cum subtilitate proferant sententiam aut animæ aut membri alicujus auferendi a destinato. — § 1. Quemadmodum enim spectabiles prætores populorum talibus honoravimus donationibus, dignos eos facientes et codicillis³ a nostra procedentibus manu et annonis et appellatione tanta et aliis quæ dicta sunt, ita eos exigimus reddere nobis suam puritatem et in omnibus vigilantiam, et cuncta agere æquali et justa conscientia et pura manu: si enim aliquid apparuerint delinquentes, aut furantes, aut furibus adqueantes, aut non omnibus reserantes modis, et dignos quidem morte supplicii subdentes, mediocria vero agentes, expellentes a magna hac civitate ubi nos præceperimus: sciant quod ipsi pro his reddent rationem non Deo solum, sed et nobis, et rei fient, et omni damno quod subjectis contigerit, et nostræ indignationi, et velociter cum infamia a dignitate repelli nostra: propterea enim et laborem sustinemus, et expensis magnis adqueascimus, ut non alicui nostrorum subjectorum inferatur aliqua calumnia aut pecuniarum aut animæ perditio, et quæ talia constituta sunt, sed omnia cum examinatione fiant competenti.

EPILOGUS.

Hanc igitur omnes nostram voluntatem per hanc præceptionem divinam et legem cognoscentes, et quia quod expedit vobis nullatenus derelinquimus, pro nostro orate imperio, sic vos tuente, sic vos proprios existimante, in his quæ in unoquoque contigerint, ita paternam in omnibus vobis custodiende providentiam. *Proponatur* Constantinopolitanis civibus nostris. — Dat. 10 kal. octobr. *Constantinop.*, DN. BELISARIO V. C. CONS. 555.

COLLATIO TERTIA.

TIT. I.

DE LENONIBUS.

NOVELLA CONSTIT. XIV.

Imp. JUSTINIANUS AUGUST. Constantinopolitanis.

PRÆFATIO.

Et antiquis⁴ legibus, et dudum imperantibus satis odibile² visum est esse lenonum nomen et causam, in tantum, ut etiam plurimæ contra³ talia delinquentes scriberentur leges. Nos autem et dudum posita contra eos, qui sic impie agunt, supplicia auximus: et si quid relictum est a nostris prædecessoribus, etiam hoc per alias correximus leges: et nuper

postulim. revers. — 3. Fac. L. 4, § 2, D. de his qui not. infam.; L. 2, § 2, D. ad leg. Jul. de adult.; L. 12, C. de episcop. aud.; L. 6, C. de spectat.

interpellatione nobis facta rerum impiarum pro talibus negotiis in hac maxima civitate commissis, causam non desepimus. Agnovimus enim quosdam vivere quidem illicite: ex causis autem crudelibus et odiosis occasione sibi met nefandorum invenire lucrorum, et circumire provincias et loca plurima, et juvenulas miserandas decipere, promittentes calceamenta et vestimenta quadam: et his venari eas, et deducere ad hanc felicissimam civitatem, et habere constitutas in suis habitationibus; et cibum eis miserandum dare, et vestem, et deinceps tradere ad luxuriam eas volentibus: et omnem quæstum miserabilem ex corpore earum accedentem ipsos accipere, et celebrare conscriptiones, quia usque ad tempus quod eis placuerit, observabunt impiam et scelestam hanc functionem implentes. Quosdam vero earum etiam fidejussores expetere: et in tantum procedere illicitam actionem: ut in omni pene hac regia civitate, et in transmarinis ejus locis, et (quod deterius est) iuxta sanctissima loca et venerabiles domos sint tales habitationes: et causæ sic impie et iniquæ sub nostris temporibus præsumantur: ita ut etiam quosdam miserantes earum et abducere a tali operatione crebro volentes et ad legitimum deducere matrimonium non sicerent. Aliquos autem sic scelestos existere, ut puellas nec decimum agentes annum ad periculosam deponerent corruptionem: et quosdam aurum dantes non parvum, vix inde redemisse miseris, et nuptiis copulasse castis. Esse etiam decies mille modos, quos nullus prævaleret sermo comprehendere: cum ad infinitam crudelitatem deductum sit tale malum: ita ut primum quidem in ultimis partibus civitatis esset, nunc autem et ipsa, et quæ circa eam sunt, omnia plena talium sint malorum. Hoc igitur dudum quidem aliquis nobis secreta denunciavit: deinde etiam nuper magnificentissimi prætores a nobis talia inquirenti præcepti, hæc eadem ad nos retulerunt: moxque audivimus et iudicavimus oportere Deo hujusmodi commendare causam, et velociter liberare tali seelere civitatem. — § 1. Sancimus igitur omnes quidem, secundum quod possunt, castitatem agere: quæ etiam sola Deo cum fiducia potis est hominum animas præsentare, quia vero plurima sunt humana: cum arte et dolo et necessitate quaslibet talium ad luxuriam deduci omnibus prohibemur modis, et nulli fiduciam esse pascere meretricem, et in domo habere mulieres, aut publice prostituere ad luxuriam, et pro alio quodam negotio talia mercari: neque conscriptiones super hoc percipere, neque fidejussores exigere: nec tale aliquid agere, quod cogat miseram et invitam suam castitatem confundere: neque sperare quia licebit de cætero eis vestium ratione aut ornamentorum forsitan aut alimenti decipere, ut etiam invite sustineant. Non enim permitimus quicquam fieri tale: sed etiam nunc omnia talia breviter competenti cura disponimus, statuentes etiam reddi eis omnem quam contigerit cautionem occasione sceleris hujus exponi: et neque permittimus scelestos lenones si quid dederunt eis, hoc ab eis auferre: sed etiam ipsos lenones jubemus extra hanc fieri felicissimam civitatem, tanquam pestiferos, et communes castitatis vastatores factos, et liberas ancillasque requirentes et deducentes ad hujusmodi necessitatem, et decipientes, et habentes educatas ad universam confusionem. Præconizamus itaque quia si quis de cætero præsumserit invitam puellam assumere, et habere ad necessitatem nutritam, et fornicationis sibi deferentem quæstum: hunc necesse esse a spectabilibus prætoribus populi hujus felicissimæ civitatis comprehensum, omnia novissima⁴ sustinere supplicia. Si enim pecuniariorum eos furtorum et latrociniorum emendatores elegimus: quomodo non multo magis castitatis furtum, et latrocinium eos coercere permittimus? Si quis autem patiatur in⁵ sua domo quandam lenonem et hujusmodi præpositum operationis habere, et hæc denunciata cognoscens, non etiam domo sua expulerit: sciat se et decem librarum auri sustinere penam, et circa ipsam periclitaturum habitationem. Si quis autem conscriptionem de cætero in talibus præsumserit, aut fidejussorem acceperit: sciat nullam quidem se utilitatem hujusmodi fidejussionis aut conscriptionis habere. Etenim fidejussor quidem obligatus non erit, conscriptio vero omnino invalida manebit, et ipse (sicut prædiximus) in corpore supplicium sustinebit: et a magna hac longissime civitate expelletur. Mulieres itaque castè quidem vivere volumus et oramus: non autem invitatas ad luxuriosam vitam deduci; nec impie agere cogi, omnino enim lenocinium et fieri prohibemus, et factum punimus, præcipue quidem in hac felicissima civitate, et in ejus circuitu: nihilominus autem et in locis foris positis omnibus, et quæ ab initio nostræ sunt reipublicæ: et quæ nunc a Domino Deo donata sunt nobis: et maxime in illis: eo quod Dea dona, quæ circa nostram fecit reipublicam, volumus conservari pura ab omni tali necessitate, et Domini Dei circa nos munera esse permanere digna. Credimus enim in Domino Deo etiam ex hoc nostro circa castitatem studio, magnum fieri nostræ reipublicæ incrementum: Deo nobis omnia prospera per talia opera conferente.

4. L. 21, D. de pænis. — 5. L. 8, L. 9, D. ad leg. Jul. de adult.

EPILOGUS.

Quatenus ergo vos primi nostri cives casta hac nostra fruamini dispositione: propterea hac sacra prædicatione utimur, ut sciatis nostrum circa vos studium, circa castitatem atque pietatem labores nostros, per quos in omnibus bonis custodiri nostram reipublicam speramus.

Scriptum exemplar gloriosissimo magistro mutatis ad hunc modum verbis.

Ut ergo omnibus hæc manifesta fiant in nostra habitantibus republica, tua sublimitas hanc nostram suscipiens sacram legem, in omni ditione præceptis propriis eam universis insinuet: ut non solum in hac felicissima civitate, sed etiam in provinciarum custodiator locis: domino omnium Deo pro alio quodam odore suavitatis oblata. [Data Constantinopolitanis civibus nostris.] — Dat. kal. decemb. *Constantinop.*, BELISARIO V. C. CONS. 555.

TIT. II.

DE DEFENSORIBUS CIVITATUM¹.

NOVELLA CONSTIT. XV.

Imperator JUSTINIANUS AUG. Joanni gloriosiss. præfecto prætoriorum, iterum exconsuli et patricio.

PRÆFATIO.

Nisi velociter revocemus curam defensorum per competens officium: nec ipsam ulterius antiquorum nomen habebimus veritatem: aliis si quidem alia data sunt ab antiquitate nomina significativa a parte rerum: hoc autem defensorum nomen pure demonstrat antiquitatem, aliquos præposuisse rebus, quatenus ex omni eas injustitia vindicarent, liberas. Si quidem et propter hoc paterna voce defensores eos vocamus, quatenus eripiant a malis injustitiam patientes. Nunc autem hoc defensorum nomen valde conculcatum est in multis nostræ reipublicæ partibus: et ita contemptum, ut in injuria quidem potius quam in qualibet jaceat honestate: siquidem fiunt viri quidem obscuro, decreta vero super eis misericordia magis quam electione conficiuntur; quibus enim non est victus et vita sufficiens, isti defensorum emendicantes ordinationem, ad hanc accedunt curam: et pro alio quodam lusu, iudicium subjacent voluntatibus. Denique remouent eos quando voluerint, aut nihil aut parvissimum delinquentes: et alios in illorum provehunt officium, quasi loci servatores eos defensorum facientes: et hoc in anno frequenter in pluribus hominibus agentes, ut et officiales, et civitatum iudices, et harum habitatores, in novissimo contemptu defensores habeant. Quæ vero aguntur ab eis, ad instar non actorum sunt, si enim imperaverint provinciarum iudices, nequaquam præsumunt quædam gesta monumentorum conficere apud semetipsos per omnia servientes eis defensores, [et] illorum nutibus intendentes solis. Si vero quædam conficiantur, primum quidem etiam hæc veniunt: deinde cum nullum habeant archivum, in quo gesta apud se reponant, deperit quod conficitur, et nequaquam invenies apud eos plurium temporum poni monumentum ullum penitus: sed ad heredes eorum, aut alias successiones his monumentis egentes, gesta quærent: et horum quæ quidem inveniuntur, nulla fide sunt digna: alia vero etiam pereunt, et in tantum cadunt, ut in similitudine non actorum sint. Nos igitur quoniam de iudicibus bene disposuimus², et majores potestates eorum in gentibus fecimus, et procul ab eis est inspectio civitatum: propterea credimus oportere etiam de defensoribus constituere, fit enim sic congruentia utilis, si iudicum sumant officium, civitatum defensores: et provinciarum præses videbitur quidem iudex iudicum potius esse, et hoc honestior præcedentium apparere: quanto enim quilibet præest melioribus, tanto major ipse et honestior est.

CAP. I. Ut nulli incolarum liceat defensoris officium respuere.

Interim³ illud sciendum est prius, ut nulli hominum sit licentia defensoris ordinationem declinare, sed invicem universi nobiliores civitatum habitatores hoc ministerium eis adimpleant: hoc enim, et in prioribus temporibus valuisse, et in republica gestum didicimus. Nulli, nec si honoratus sit magnificentissimorum illustrium dignitate, hoc declinare concedimus, nec si militiam habeat honestam: neque si proferat privilegium suum ex divinis formis, vel si pragmatici sint collati: sed secundum circulum habitatoribus civitatis, quorum aliqua ratio est hoc implentibus, et dum circulus expletur, rursus revertentibus ad sollicitudinem, et civitati prædictam curam ministrantibus: ut in unaquaque civitate defensor iudex potius quam defensor esse videatur: decreto quidem

Trr. II. — 1. L. 1, C. 55. — 2. N. 8. — 3. Auth. Præses, C. de episcop. aud.

cum iurejurando factus omnium possessorum in illa civitate consistentium, sed non in hac urbe degentium. — § 1. Jusjurandum vero præbens, quod omnia secundum legem ac jus agat, et omnium communiter, confirmandis autem sicut nunc ex præcepto gloriosissimorum nostrorum præferendum: in biennio vero administrans solo, et removendus a cura: non habente licentiam clarissimo provincie iudice removendi eum: sed si quid videatur agere non recte, nunciare ad gloriosissimos præfectos, ut inde ei fiat curæ privato, unde etiam datur.

CAP. II.

Nulla existente licentia administratori, aut ipsis defensoribus, vices agentes defensorum facere, sed etiam hoc omnibus eis interdicitur modis. Sed neque proprias vices agentes per civitates clarissimos iudices destinare, nisi ipsos defensores, quos iudicum officium complere in civitatibus volumus: ipsos quoque in omnibus diligentiam adhibere civitatibus in quibus sunt.

CAP. III. Ut omnia monumenta apud defensores insinuentur.

Et agi apud defensores, testamentorum insinuationes, et donationum, et quicquid aliud est monumentorum proprium: non valente clarissimo provincie iudice prohibere quod agendum est, aut præcipere, quia non velit aliquid agi, aut actum non edi: non enim huiusmodi alicujus ei omnino potestatem damus, absurdissimum existimantes, necessariis rebus cedere homines propter iudicum forte irrationabiles motus atque præceptiones, sed etiam agere quæcunque voluerit et edere: et licet quod agitur, tangat provincie præsidem, aut quemlibet potentium, neque hoc prohibere. Oportet etenim sic agere eos qui in administrationibus sunt, aut in qualibet potestate, non ut prohibeant quædam fieri contra se gesta, sed ita inculpabilem suum præbeant modum, ut nulli detur tempus querimoniarum adversus eos: et si affuerit civitatibus iudex, sive non, nequaquam prohibeatur quisquam agere apud defensores quædam monumenta in quibuscumque voluerit, præter illa sola quæ jurisdictione egent, et ex ipsa iudicum auctoritate pendent. — § 1. Deinde et his qui publicas exactiones habent, civitatum defensores omnibus auxiliari modis, et si opus fuerit occasione contemptus contumacie tributiariorum, monumenta conficere: et hæc fieri velociter jubemus, et interesse, ut inordinate agentes videant, et his ipsis testimonium perhibere, vel publicum removere tumultum, et absolute iudicum obtinere ordinem et maxima quando absunt: et officiales provincie quicunque in civitate sunt illa in qua defensor est, obedire illi, et adjuvare, ut absentibus præsidibus gentium, nihil videatur deesse civitatibus sub illorum presentia. Ex provinciali autem officio habere et exceptorem eis administrantem, et duos officiales, qui ea quæ ab eis decernuntur, adimpleant. — § 2. Et iudicare in causis omnibus pecuniariis usque ad aureos trecentos: non valentibus nostris subjectis trahere sibi implet obligatos ad clarissimos provinciarum iudices, si usque ad prædictam trecentorum solidorum quantitatem lis consistat.

CAP. IV.

Sed neque pro hoc ipso actores amplius æstimare litem, ut conterant reos, et non civitatis defensori, sed provincie iudici. Sed si quid tale egerint, et sententia manifestet minorem esse litem trecentorum aureorum, et studio actam, et apud provinciam iudicem, et non civitatis defensorem examinaretur: solum actorem omni litis subdi dispendio.

CAP. V.

Et a defensoribus appellationes ad ipsos fieri iudices. Si vero egerint aliquid injuriosum circa defensores officiales: tunc provinciarum præsidem ulcisci et castigare officiales [possint.] Licentiam enim damus defensoribus, si hoc neglexerint præsidem gentium, sedis tue eminentie huc nunciare, ut inde detur auxilium eis, et vindicta competens: et re vera defensores eos esse contra delinquentes, habentes iudiciali claritatis et honestatis imitationem. — § 1. Et si cadere contigerit civitatis defensorem: mox ad alium deferri decretum, qui ex circulo vocatur, eum dudum dicto iurejurando, et suscipere quidem mox curam; decretum vero nuntiari et confirmari a tuo culmine: et nequaquam defensoribus vices agentes (sicut prædiximus) dari: ne rursus priori confusione demus quasi rationabilem occasionem. — § 2. Præcepta vero faciat tua eminentia per unamquamque provinciam, ut in civitatibus habitio quædam publica distribuatur, in qua conveniens est defensores monumenta recondere, eligendo quendam in provincia qui horum habeat custodiam: quatenus incorrupta maneat hæc, et velociter inveniantur a requirentibus: et sic

4. Auth. Hocie, C. de iudicis. — 5. Inst. de offic. iud. in pr. — 6. Abrog. l. 1. C. h. t. — 7. e. 1. pr. sup. hic. — 8. d. e. 1. § 1. — 9. N. 8, e. 1. — 10. l. 7. C. h. t. — 11. e. 5, § 1, sup. hic. — 12. e. 1. pr. sup. eod. — 13. d. e. 1. in pr.; e. 3, § 1, sup. eod. — 14. d. e. 3.

apud eos archivum, et quod hactenus prætermisum est in civitatibus emendetur.

CAP. VI.

Quia vero etiam defensores civitatum extra omne commodum fiunt: et pro decretis eorum, si quidem civitates majores sunt, quatuor solummodo dabuntur aurei foro tue sublimitatis: si vero minores, tres: sicut jam dudum nostris constitutum est legibus: si vero quædam salaria habent publica, etiam hæc secundum consuetudinem percipient. — § 1. Audient quoque leviora crimina, et castigationi competenti contradent: et eos qui in majoribus criminibus capiuntur, detruent in carcerem, et mittent ad provincie præsidem; sic enim fruatur civitas unaqueque cura judiciali: et omnis gens sub majori constituta iudice majorem sentiet providentiam: et rescindantur plurimæ iudicum curæ, cum civitatum defensores in semetipsis eas imponunt, et levigant præsidum quas pro omnibus hominibus habent sollicitudines, ipsi particulariter removeantes ea quæ vim patientibus inferuntur, aut dubitationes solventes, et honestos (sicut sæpe dictum est) eos qui in administrationibus sunt, demonstrantes. Si vero etiam detineantur ab aliquibus publicæ functiones: gentium præsidem defensoribus imperabunt contra detentores exactiones: ut et secundum hoc eos adjuvent. Si qua vero defensoris præter hæc fiat ordinatio, aut tenuerit aliquis defensoris officium in semetipsum veniens, sive dignitatis, sive militie, sive privilegii, sive alterius cujuspiam occasione: iste quinque librarum auri subjectus poenæ, etiam sic post ejus exactionem ad opera civitatis proficentem cogatur defensoris implere sollicitudinem. Convenit enim unumquemque nihilominus semper functionem agere civitatum quas inhabitat, et hæc eis conferre habitiois repensationem.

EPILOGUS.

Quæ igitur placuerunt nobis, et per hæc sacram insinuata sunt legem, tua sublimitas in provinciis quibus præest, facere manifesta per programmata propria studeat: quatenus cognoscant omnes, quia et maxime et mediocrium et parvulorum nobis cura est, et nihil est tale quod a nostra sollicitudine removeamus. Partem vero faciat tua eminentia suorum præceptorum: ut ex hoc jam gentium præsidem præparent secundum unamquamque civitatem eos qui bonæ opinionis sunt nominari defensores secundum circulum (sicut jam dictum) et decreta fieri communia cum iurejurando in eis habito, et describere prædictum circulum: et ita per biennium subintrare curam eos qui subsequuntur: et si ceciderit quisquam ex eis, alium introduci: semper quidem decreto cum iurejurando faciendo: ipsoque dum futurus fuerit curam suscipere, definitum jusjurandum subeunte, et electione ejus faciendâ a Deo amabili episcopo, et venerabili clero, et aliis in civitate bonæ opinionis studentibus: quod etiam nunc mox fieri convenit, omnibus (sicut dictum est) secundum hanc nostram generalem procedentibus legem. Nunc autem defensores existentes, siquidem placiti videantur, etiam ipsos inseribi circulo, et biennio complere curam, et siquidem jam biennium in ea cura habent, removeri defensoris sollicitudine: nisi tamen voluerint communi decreto teneri eos biennio in eodem officio. Si vero nondum biennium impleverint, digni vero videantur communicare circulo, impleant reliquum tempus, ultra quod nullus civitatem defendat: sed usque ad hoc solum stet tempus: nisi cuncta civitas reluctante nullo elegerit eum: et hoc factò, alio biennio suscipiat sollicitudinem, et modis omnibus deponatur: et tunc rursus fiat, quando ipse eum circulus ad hunc adduxerit ordinem: ne frequentia et continuatio curæ, et per quendam machinationem illud semper renovando fiat aliquibus infinita prædicta gubernatio. His omnibus valituris in omne tempus: quoniam cum toto hoc studio et vigilantia et Domini Dei intuitu advenimus, et nostris subjectis contulimus. — Dat. 16 kal. August. Constantinop., BELISARIO V. C. CONS.

TIT. III.

DE MENSURA ORDINANDORUM CLERICORUM.

NOVELLA CONSTIT. XVI.

Idem, Imp. Anthemio sanctiss. et beatiss. archiepiscopo Constantinopolitano, et universali patriarchæ.

PRÆFATIO.

Legem nuper scripsimus de mensura ordinationum, et ut non com-

1. — 15. d. e. 1, § 1, d. e. 5, § 1.

TIT. III. — 1. N. 5, e. 1; N. 6, e. 8. — 2. d. N. 5, e. 1; d. N. 6, e. 8.

petere effusas eas esse, neque in sanctissima majore ecclesia hujus felicissimæ civitatis neque in aliis: quam etiam firmam esse, et valere secundum omnem suum voluimus virtutem. Quia vero intentio nobis est abbreviare quidem ordinationes, huic autem sanctissimæ majore ecclesie excellentem expensam ad mediocrem quandam atque portabilem reducere quantitatem, quatenus multitudo ei expensarum minuatur: propter hoc omnem circumventam viam, ad præsentem venimus legem: nihil quidem aliud existentem a priore, sed ex ejus procedentem voluntate, adhuc autem amplius sanctissimæ majore ecclesie prodesse valentem.

CAP. I.

Sanctimus enim, si in quibusdam sanctissimarum ecclesiarum (quarum ipsa sanctissima major ecclesia gubernationem et expensas suscepit) contigerit aut presbyterum, aut diaconum, aut lectorem, aut cantorem mori, non alium mox extrinsecus introduci, sed considerare quanta tunc est mensura ibidem ministrantium reverendissimorum clericorum. Et si quidem nondum clericorum minuta mensura est, sed adhuc abundant quantum ad id quod superius definivimus, et ut vocant statutum, nullam fieri pro eo ordinationem, donec numerus in [remedio] ipso restituatur. Si vero sic diminuta multitudo est, ut necessitas sit, ne desit statutus numerus, alium pro moriente introduci clericum considerare beatitudinem tuam, si quis est in aliis ecclesiis citra sanctissimam majorem ecclesiam, ex abundantia ejusdem ordinis clericus: et exinde restituere alium, et non novam facere ordinationem. Sic enim dum ex eo quod plus est, semper hoc quod deficit, impletur: bona et Deo amabilis imponitur causæ mensura: et sic sanctissima mater ecclesia paulatim debitis liberabitur. Alioquin si quod defuerit quidem compleatur introductionibus extraneis: quod vero plus est, non minuatur plurimum et indefinitum transiet tempus, donec omne quod plus est, minuatur.

EPILOGUS.

Tua igitur beatitudo, ea quæ propter sanctissimarum ecclesiarum utilitatem recte nobis placuerunt, operi effectuique contradere festinet. Etenim si quid fiat præter hæc, scire necesse est cum, qui contra hanc nostram legem suscipere ordinationem præsumperit, nihil hinc utilitatis habiturum, neque reputabitur a reverendissimis æconomis in hac parte facta sanctissimæ majore ecclesie expensa: sed ipsi ex hoc cognoscent damnum a semetipsis hunc suæ negligentie recipientes fructum. — Datum idib. August. Constantinop., post consulatum BELISARII V. C. 7.

TIT. IV.

DE MANDATIS PRINCIPUM.

NOVELLA CONSTIT. XVII.

Imp. JUSTIN. AUGUST. Triboniano quaestori sacri nostri palatii, et exconsuli.

PRÆFATIO LATINA.

Ex libris antiquis, qui jura romani nominis continebant, non ignota tua sublimitas, quanta de mandatis principum legumlatores in suo puique volumine conscripserunt. Quia igitur nobis reparantibus omnem vetustatem jam deperditam ac diminutam, placuit etiam omnibus iudicibus nostris, qui minores vel medias administrationes gerunt sive inter correctores, sive inter consulares, sive inter spectabiles ordinentur, non solum codicillos præstare, sed etiam mandata dare, quibus inspectis omnia gubernare laudabiliter possint: ideo librum mandatorum composuimus, qui subter per utramque linguam annexus est: ut detur administratoribus nostris secundum locorum qualitatem, in quibus romana vel græca lingua frequentatur, scire eorum sanctionem: ut nihil ex his audeant præterire, sed saluberrimas dispositiones nostras observantes, in perpetuum nostras provincias, nostroque imperio subjectos gubernare festinent. Illustris igitur auctoritas tua, ad quam quaestoria pertinet censura, eadem mandata et in libris legum transcribi, et in sacro laterculo deponi præcipiat: quatenus ex his una cum codicillis suscipiendis, administratores, quemalmodum possint republicæ subvenire, non ignorent. — Dat. 16 kal. Maji, post consulatum BELISARII V. C. CONS.

In nomine Domini Jesu Christi Dei nostri, imperator Caesar Flavius Justinianus, Alamanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, pius, felix, gloriosus, victor, triumphator, semper adorandus, Augustus.

TIT. IV. — 1. Lih. 1, e. 15. — 2. Fac. l. 6, in fin. D. de offic. procous: l. 3, in fin. D. de offic. præsid. — 3. N. 8, e. 9. — 4. d. N. 8, e. 1. — 5. d. N. 2, e. 8. — 6. Fac. l. 1, § 1, D. de offic. præf. urbi: l. 5, in fin.; l. 15, pr. D. de offic. præsid. l. 28, § 3, D. de penis. — 7. N. 8, in pr. — 8. Authent. Nisi breves, C. de sec. ex p. relicto. — 9. Adde l. 6, D. de sec.

Jam quidem in generali nostræ pietatis lege omnia declarata sunt, in quibus conveniens est administrationes accipientes, eas gubernare, memorantes jusjurandum quod super his præstatur. Necessarium tamen existimavimus etiam nunc percipienti tibi administrationem, designare quod a progenitoribus republicæ nostræ adinventum est: qui ad administrationes directis certa præcepta dabant, mandata principum ea vocantes, secundum quæ oporteret eos gubernare administrationes.

CAP. I. Ut gratis creati magistratus, gratuitas quoque manus servent, erga Deum, imperatorem, et legem.

Oportet igitur te pure sumentem administrationem, et sine omni suffragio, præ omnibus aliis mundas servare Deo nobisque et legi manus, et nullum contingere lucrum, neque majus, neque minus: neque captivum quiddam contra subjectos facere, negotiatione: sed contentum esse solis a fisco tibi ministratis, et tam per te quam per eos qui circa te sunt purum eis undique servare jus. Et festinare primum quidem fiscalia tributa exigi vigilantiter, nihil diminuens circa publicam curam requirere, ne forte fiscus inde minuatur, et salvare ei undique quæ propria sunt. Sicut enim privatos injustitiam passos adjuvamus, sic et publicum illæsum manere volumus. Collatores namque omni alia calumnia liberi conservati, facile et in promptu solvent tributa: et qui in furta prius dantes, manebant debentes adhuc fiscalia, ex nunc ipsis fiscalibus exsolventes, liberabunt facile se tributis.

CAP. II. Ut caveant magistratus, ne quæ seditiones excitentur, et quieti publicæ omnium ordinum invigilent.

Deinde conveniens est te providere, ut nulli populi civitatem alterutris seditiones faciant, sed omnem pacem esse Dei civitatibus, dum æquitas etiam hinc nostris subjectis servatur, et neque lucri neque passionis alicujus causa, ad aliquam partium declinatur.

CAP. III. Ut breviores et viliores causæ sine scripto decidantur: et sportularum modus servetur.

Sit tibi quoque tertium studium, lites cum omni æquitate audire, et omnes quidem breviores, et quæcunque maxime vilium sunt, ex non scripto decidere, et iudicare, et liberare omnes alterna contentione, et non permittere in aliquo ultra quam continetur sacra nostra constitutione, occasione casualium expensarum damnificari, si tamen sufficientes in datione consistant: aliqui etiam gratis lites audire, et non permittere ex negligentia de provincia alicujus præsidis quemquam ad hanc currere felicissimam civitatem, et nobis molestum esse. Scito namque, quia si quis veniat, et additionem nobis faciat, et a nobis interrogatus si prius te adit, deinde te dicat adisse, et quod justum est, non impetrasse, et hoc verum inveniamus, in te indignationem convertemus. Si vero cum te non adierit, venire ad hanc regiam præsumperit civitatem, et remitte-mus eum cum omni correctione, et responsum non dabimus.

CAP. IV. Ne præsidem permittant executores aut magisterianos aliqui formarum et portuum causa exigere.

Deinde competens est te etiam hinc venientes sive ex magisteriano, sive ex quolibet foro, non permittere lædere, nec superexigere subjectos nostros. Sed si quis adierit tale aliquid quaestus: hoc et exsequi, et indemnitate ei procurare, et neque permittere alicui proferenti præcepta cujuscunque fori, hæc videlicet quæ solemniter dirigantur, formarum etiam aquæ causa, et portuum, et itinerum sternendorum, et imaginum, et murorum, et domuum destructioni tanquam in publico factorum, et aliarum talium, damnificare nostros subjectos. Non enim volumus, nec per talem causam ullum eis inferri damnum. Ipse vero omnium horum providebis sine damno omni gestum. Si quis autem cui tale aliquid jussum est, veniat: omnino non respicias eum, nisi sacram nostram pragmaticam ostendat formam pro hoc scriptam: tunc tu suscipiens quidem talem formam, non autem aliqui agens ex ea, antequam ad nos nuntians secundam præceptionem nostram suscipias. — § 1. Sed etiam pro ubertate necessariorum, et operum civitatum diligentiam habebis: procurans ex civilibus pecuniis patres quæ valde necessariae sunt operum facere, et pontium, similiter et viarum, et portuum, et in quibus omnino sunt locis provincie cui præsidem: portuumque, et mororum curam habebis: et quidquid omnino est publico, et civitatibus utile, et cogitabis, et facies, et nunciabis. — § 2. Habebis autem obedientes tibi, et qui in provincia sunt milites, in quibus eorum opus habueris ad ministerium justum. Quod si delinquentes inveneris: sub omni castigatione decenti in super ex emolumentis eorum satisfieri læsis procurabis.

cus. — 10. L. 1, pr. D. de appellat. — 11. L. 26, § 3, C. de epis. aud. — 12. L. 7, D. de offic. præsid. — 13. L. 7, § 1, D. de offic. procous; l. un. C. de rat. oper. — 14. e. 10, in fin. infr. hic.